

Decretum, quo Adrianus V. Gregorii X. de inclusione Cardinalium in Conclavi pro facienda Pontificis electione Constitutionem suspenderit, confirmatur.

Ex Raynald.
ad ann. 1276.
§. 29.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Facta a Gregorio de Conclavi lex.

§. 1. Licet felicis recordationis Gregorius Papa Prædecessor noster, pia meditatione considerans, quantum sit onusta dispendiis, plenaque periculis Ecclesie Romanæ prolixo vacatio; & vigilanter intendens, super hoc de opportuno remedio providere, quandam super electione Romani Pontificis constitutionem ediderit in concilio Lugdunensi: quia tamen experientia docuit, constitutionem eandem multa intolerabilia, nonnulla obscura, & propter hoc accelerationi provisionis ejusdem Ecclesie valde damnosa, immo etiam provisionis ipsius impedimenta, & dilationem ingentia continere; pie memorie Adrianus Papa Prædecessor noster, diligenter præmissa considerans, & residens in Camera sua Lateranensi, in consistorio, nobis & aliis Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, presentibus; bonæ memorie V. Prænestino Episcopo, V. S. Eustachii Diacono, & dilectis filiis, G. tit. S. Marci Presbytero tunc infirmitate detentis, ac S. tituli S. Cæcilie Apostolicæ Sedis legato Presbytero Cardinalibus dumtaxat exceptis: constitutionem eandem, quo ad omnem ipsius effectum, quidquid posset contingere, solemniter & absolute suspendit; & quamvis post ejus obitum nos & dicti Fratres, qui tunc supererant, & presentes etiam in Romana Curia, suspensionem hujusmodi non solum verbis, sed litteris etiam nostro, & eorundem sigillis munitis, concorditer testaremur; nonnulli tamen corda contumacia in damnatam superbiam erigentes, adhibere fidem nostro testimonio contempserunt; aliis etiam infructibus animis suggerentes hujusmodi nostro testimonio non esse credendum: quamquam insuper aliquorum habet assertio, eundem Prædecessorem Adrianum in lecto ægritudinis decumbentem suspensionem revocasse prædictam; Nos tamen & iidem Fratres frequentes & diligentes super hoc inter nos collationes habuimus; & non solum ab iis, qui revocationis hujusmodi consilii dicebantur, sed ab aliis ejusdem Prædecessoris Adriani Familiaribus, & aliis etiam studuimus veritatem frequentissime indagare; nec invenimus eundem Prædecessorem Adrianum ad revocationem prædictam aliquatenus verbo, vel litteris processisse.

Ab Adriani suspensa.

Quomodo fuerit suspensa.

§. 2. Nolentes itaque, nec valentes, urgente conscientia, quæ nos maxime in tali ac tanto articulo veritatem occultare non sinit, præfatam suspensionem dictæ constitutionis ratam, ut expedit, non haberi; vel ipsam de cetero quomodolibet in dubium revocari: suspensionem ipsam ab eodem Prædecessore Adriano factam fuisse, ut præmittitur præsentium tenore testamur; ac ipsam nihilominus ratificantes,

Illius exemplo ad tempus abrogatur.

& ratam haberi volentes, revocatione prædicta, cum nulla de ipsa fides haberi potuerit, nonobstante, constitutionem eandem, quoad omnem suum effectum, de Fratrum ipsorum consilio decrevimus esse suspensam. Cæterum aperte prædicimus, quod nec nostræ, nec Fratrum ipsorum intentionis existit, ut solum in ejusdem constitutionis suspensione, seu abolitione sistamus: Sed ad tollendas occasiones diffusæ vacationis ejusdem Ecclesie, ac celeritatem provisionis ipsius, prout eadem intendebat constitutio, competentem inducendam, sic intendimus præfatæ constitutioni, & dicti Prædecessoris Gregorii, conditoris ejusdem, intentioni concurrere, ac Deo Ductore Fratrum ipsorum consilio salubriter in proximo providere, quod cum dispositione divina casus emerferit eidem Ecclesie, sublatis impedimentis quibuslibet, celeriter desiderata provisio, prout mundi necessitas exigit, valeat provenire. Nulli ergo &c.

Datum Viterbii secundo Kalendas Octobris Pontificatus nostri anno I.

I I.

Encyclicæ Joannis XXI. ad fideles de sua promotione literæ.

Dat. die 10. Septembris 1276. P. an. I.

Joannes Episcopus Servus Servorum Dei.

Ex Raynald. Continuat. Annal. Tom. XV. pag. 151.

Felicis recordationis Adriano Papa Prædecessore nostro post promotionem suam ad Summi Apostolatus apicem brevium numero vite sue tempora consummante, post exhibita eidem in solemnibus æquissimi debita humanitatis obsequia, nos, & Fratres nostri in Episcopali Palatio Viterbiensi convenimus, electioni substituendi Pontificis, juxta necessitatis instantiam, & fervens nostrum desiderium vacaturi; Et licet diebus aliquibus per importunitatem Viterbiensium Civium, tractatui electionis instantis nec dare possemus initium; postquam tamen illi vacare potuimus, astutit, ut credulitas devota supponit, sapientie Spiritus, ex more a nobis & Fratribus ipsis suppliciter invocatus, & prima die de ipsorum Fratrum concordia voto, parique concordia processit de nobis, tunc Episcopo Tusculano, impremeditatis & insensiti, ad Petri Cathedram electio canonica, communis & concors.

Cardinales in Palatio Viterbiensi Pontificem electuri conveniunt.

In iis itaque stupemus non immerito, pariter & terremur. Nonne stupor, nonne tremor, quod nos, qui tutoris semper putavimus esse consilii, secute in Domo Domini abiici, quam periculose super aliorum curam & regimen elevari, sic subito in maris altitudinem venimus? Et dum ad injuncti oneris sarcinam insufficientes virtutum sumptus dispungimus, & vires impares comparamus, ab illius nec indigne timemus tempestate demergi: hæc efficaciter suggerebant, ut in vocatione, in qua nos vocaverat Dominus, maneremus, & debilitas onus refugeret, ac opus insufficientia nostra vitaret. Verum, quia merces laboribus commensuratur, & redditur: propter quod Doctor & Prædicator egregius, non de profectu

Quomodo ad Sedem Apostolicam evectus.

NICOLAUS III.

P A P A CLXXXVIII.

ANNO D. MCCLXXVII.



Commendat se fidelium precibus.

Datum die 7. Octobris anno Domini 1276. Pontificatus nostri anno I.

ctu glorians, sed veraciter suos labores attestans: Non, inquit, plus omnibus profeci, vel profui, sed plus laboravi, licet deterreret onus & labor; ad subeundum tamen jugum Apostolicæ servitutis, & in ea pro viribus laborandum merces retributionis æternæ unius cujusque, nisi aliud misericordia retribuentis indulgeat commensuranda laboribus, invitavit, & sub illius fiducia, qui lassio virtutem subiecit; cujus solius sufficientiæ plenitudo nostros sufficit supplere defectus; debiles humeros tanto subjicimus oneri, nec expavimus manus exponere immensitati laboris.

Cæterum, quia supra vires nostras esse conspicimus susceptum officium, illudque soli portare nequimus, orationum vestrarum suffragia humiliter imploranda, & vos in partem sollicitudinis evocatos collaborando nobiscum, diligentius exequamini commissa vobis officia, decrevimus exhortandos. Ideoque universitatem vestram monemus, & hortamur in Domino, vos nihilominus rogantes instanter, quatenus preces humiles, devotas, & sedulas frequenter fundatis ad Dominum, ut sua pietate nostram insufficientiam suppleat, debilitatem fulceat; nobisque, quod est onerosum, leviget, quod obscurum suæ claritatis luce revelet, & aspera convertat in plana: sicque vota nostra præveniando clementer aspiet, & misericorditer adjuvando benignus profectur, quod zelus noster semper in ipsius beneplacitis torpescat; Vos quoque, quos de gregibus diligentie vestre commissis Pastoralis officii cura sollicitat, sic diligenter illud studeatis implere, quod cum discussio venerit, & exacti fueritis pro illis reddere rationem, non solum illam cum securitate reddatis, sed & exigentis mereamini gratiam; & interim in vestris Ecclesiis vestrarumque negotiis, super quibus potestis ad nos cum securitate recurrere, Apostolicæ Sedis propitium sentire favorem.

Datum Viterbii, nonis octobris Pontificatus nostri anno primo.

Nicolaus III. natione Romanus, antea Joannes Cajetanus de Ursinis, Cardinalis Diaconus S. Nicolai in Carcere Tulliano, electus est Viterbii summus Pontifex die 25. Novembris 1277. Romæque consecratus die 26. Decembris anni ejusdem. Sedit in Pontificatu a die electionis Annos II. Men. IX. uno die minus: a consecratione Annos II. Men. VIII. duobus diebus exceptis Imperantibus in Oriente Michæle Paleologo, in Occidente Rodulpho Rege Romanorum. Obiit apud Surianum die 22. Augusti anno 1280. Corpus Romam translatum tumulatur in Basilica B. Petri in capella B. Nicolai. Vacavit Sedes Men. VI.

I.
Encyclicæ Nicolai literæ de sua in Summum Pontificem electione ad Galliæ Prælatos.

Ex Reges. Vatic.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Senonen. & Episcopis, ac Dilectis Filiis, Abbatibus, ac aliis Ecclesiarum Prælati, per Senonen. Provinciam constituti, salutem & Apostolicam benedictionem.

Immensa Deus potentia, qui Mundum per se condidit, per se regit; nec eget extrinsecus quæsitis auxiliis ad regendum, qui non eguit ad condendum. Quem enim (Sacra Scriptura testante) alium constituit super terram, aut quem alium posuit super eum, quum fabricatus est Orbem? Profecto nullum; sed ipse solus regiminis & gubernationis est Princeps, qui creationis extitit solus auctor: ipse quidem Ecclesiæ Catholicæ, peculiaris procul dubio domus suæ, peculiaris etiam Civitatis solus ædificator, & custos, ad cuius sine ipso custodiam seu structuram frustra ædificantes alii laborem assumerent, frustra custodes ceteri vigilarent; tanto magis ea specialis regiminis, & custodiæ cura prosequitur, quanto majori singularitate construxit. Si quidem cetera verbo creans, dixit, & facta sunt: Ecclesiæ vero non solum verbi expressione, sed & sui pretiosi sanguinis effusione fundavit. Ad hujus autem specialitatis evidentiam discipulis suis, quos ejusdem Ecclesiæ fecit velut præcipua fundamenta: Ego, inquit, vobiscum sum usque ad consumationem sæculi, sue virtutis assistentiam repromisit & ipsi Ecclesiæ in Apostolorum Principe, cui cujusque Successoribus commisit ejusdem regiminis Vicariam, ait: Ego pro te rogavi Petre, ne desiciat fides tua: eandem insuper Vicariam sic esse voluit vicissitudinarie successione continuatione perpetuam, ut quamquam ipsi Vicarii ex humanæ fragilitatis conditione legi mortalitatis additi, vitæ præsentis occasum imperio mortis incurrerent; ipsam tamen Vicariatus officium substituendorum vicibus immortalis in perpetuum remaneret. Proinde se præfata mater Ecclesiæ interdum utili desponsata Pontifici, nuptialibus ornata monilibus, sub sponsi sui ducatu, ejusdem Rectoris omnium dirigente potentia, læta deducitur: Interdum vero in Pastoris subtracti carentia, viduitatis amictu circumdata, oculis resolutis in lacrimas ejus sibi queritur adempta solatia, lamenta de illius subtractione multiplicat, & anxia pro alterius substitutione laborat: eo quamproximus, quo iis, quorum interest, cum omni diligentia solerter ac instanter ejusdem Ecclesiæ provisioni vacantibus, nihilominus tamen vacationis prolixitatem ingerit occurrentium casuum qualitas, aliarumque circumstantiarum necessitas, non instantium negligentia, vel voluntas. Et licet interim eadem Ecclesiæ, dum ad editionem Spiritus Patris, filii, sponsique votivam enititur,

Specialis Dei de Ecclesiæ cura, & custodia.

Ac præsertim Sede vacante.

parturientis partes experiens, conatus prosequens, & molestias perferens, acerbos dolores sentiat; instar illius tamen consultus idoneum parienti tempus expectat, ne inconsulte festinantia impetum partum præcipitet in abortum. Oh igitur præsumptuosa Judicia murmurantium in Ecclesiæ provisione, quam sepe indigne arguunt tarditate! nam & si de providendo utiliter eidem Ecclesiæ in generalitate quadam sint eligentium vota concordia; tamen dum singulariter ad id personam idoneam quæritur, in hoc nimirum quærentium judicia facile non concordant. Sed & nonnumquam occulta forsân Dei dispositione postponendus eligitur, & postponitur præferendus: sicut his accidisse diebus ex nostrorum defectuum consideratione supponimus, & humiliter confitemur.

Nuper enim felicitis recordationis Joanne Papa Prædecessore nostro apud Viterbium, ubi tunc cum sua Curia residebat, ab hac luce subtracto, & ipsius Corpore in Viterbiensi Ecclesiæ cum Exequiarum solemnitate debitam tumulato; tandem nos & Fratres nostri, quibus nos tunc officii quoad hoc annumerabat æqualitas, in Palatio Episcopali convenimus, propensorem diligentiam consideratæ provisioni ejusdem Ecclesiæ impensuri. Et quamquam ille, qui Calesti dat concentui armoniam, nos sub clausura eadem habitantes in unum ad utilem provisionem ipsius Ecclesiæ obtinendam, prout singulorum habebat asseritio, unanimes fore sua pietate concesserit, ad consumationem tamen provisionis ejusdem alto suo & secreto Consilio dare aliquamdiu distulit spiritum unitatis. Sed demum in die Beate Catharinæ, Missarum solemnibus cum invocatione Sancti Spiritus celebratis, iidem Fratres in humilitate nostram (utinam non exorbitante judicio) per viam Scrutinii concordantes, nos tunc Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, ad conscendam apostolicæ dignitatis speculam unanimes elegerunt: nobis vestem ponderis universum orbis ambitum continentem non offerentes tantummodo, sed etiam cum importuna instantia ingerentes. Verum, ut rei gestæ seriem succintus sermo pertranseat, ne, dum defectus eisdem ad humilitationem nostram gestimus exprimere, sub humilitatis specie notam elationis seu qualitumque jaclantiæ ingerat seriose repetitio veritatis; nos gradus, altitudinem, & oneris imminenti tantæ altitudinis ascensuri molem, nobis in Cardinalatus officio experientia longæ participio non ignota, in attenta meditatione pensantes; eligentium & offerentium instantiæ insufficientiæ nostræ imparitatem objecimus, debilitatem nostram distante conscientia oblati imparem, cum repetita multoties relaxationis supplicatione humiliter allegantes.

Cumque nec sic cessaret instans fratrum importunitas eorumdem, sed vim inferens nostro proposito vehementius Collegii justus urgeret, nosque violentiam patientes clamaremus lacrymis, nec esset, qui auditu exauditionis audiret, vociferaremur gemitu, nec foret

Ut defuncto Joanne XXI. Cardinalis de successore eligendo tractarent.

Diem electionis suæ significat.

Ut invitatus officium acciperet.

ret qui remissionem injuncti oneris benigno iudicio indulgeret; ad illum oculos mentis ereximus, qui, sicut præmittitur, Ecclesiam, quam per se fundavit, non negligit regere per se ipsum; sed quam pie condidit, pie regit; & quamquam de insufficientia nostra timentes, de superabundantia tamen omnipotentia sue confisi, humeros summo super humerali subiecimus, & humiliter jugum subivimus Apostolicæ servitutis: sperantes, quod ipse, qui Petri pedibus maximos vortices inclinavit, ut iter liquidum humanis gressibus solidum præberet obsequium, nobis, quos licet indignos illi sua constituit dignatio successorem, in nostri executione ministerii humiliabit per suæ virtutis potentiam colla tumencia superborum, & lapsus in delicta labentium cohibendo, eos in bonorum stabilitate operum solidabit.

Spem in Deum conjecerit.

Præsertim pro se ad Deum preces exposcit.

Ad quod efficaciter obtinendum attente orationum vestrarum suffragia imploramus, universitatem vestram monentes, rogantes, & obsecrantes in Domino Jesu Christo, quatenus diligentius attendentes, quod ad tanti ponderis sarcinam supportandam pervigiles cooperatores esse vos exigit, vobis in vestris Gregibus sollicitudo commissa in huiusmodi cooperationis ministerio exequendo super Greges eisdem sollicitè vigilantes debilitati nostræ devotarum orationum & placationum uberum frequentibus oblationibus assistatis, ab eo, qui vobis sarcinam eandem imposuit, seu pondus forsân imponi permisit, supplicationibus devotis & sedulis implorantes, ut, qui ex eisdem nostris defectibus sub illius onere premimur, ipsius munere sublevemur: nobisque ipse bonorum largitor omnium sic illam ad sui nominis laudem & gloriam, nostram Populique sui salutem portare sua pietate concedat, quod eadem pia mater Ecclesiæ filios suos numero & merito nostris multiplicari temporibus gloriatur.

De Porcioribus Literarum huiusmodi.

Ceterum Fratres & Filii affectum vobis charitativè benignitatis expandimus, & sinum Charitatis solidè aperimus, proponentes, in quibus cum Deo poterimus, honori vestro deferre, ac vestra, & Ecclesiarum vestrarum. Commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benevolentia promovere.

Cum autem, sicut intelleximus, Portitores huiusmodi Literarum interdum esse consueverint contra intentionem mittentium exactores; nunc importunæ petitionis instantia, nunc etiam murmurationum susurrus, ac defectuum & querelarum comminationibus exigendo, scire vos volumus, quod nostræ intentionis existit, latoreque præsentium jurare fecimus, quod ad exigendum, vel obtinendum aliquid præter ea, quæ ad victum & obfirmum ac alios casus necessaria, per alias eis sub certa forma literas, quas vobis exhiberi mandamus, ministrari præcipimus, talibus instantiis, murmurationibus, detractionibus, seu Comminationibus non utantur: Nec recipere per instantias, murmuraciones, vel Comminationes huiusmodi oblata præsumant: ideoque, ut nostris in hoc intentioni, ac benepla-

citis concurratis, præfatis eorum abusibus, ceterisque similibus, si forsân eis, quod non est verisimile, uti præmerent contra proprium juramentum, contemptis, omnino vos ultra præmissa ipsius nostro ministranda mandato tribuendo aliquid non gravetis; Cum non per extorsiones huiusmodi, sed alias retributione congrua intendimus ipsorum laboribus respondere. Datum Romæ apud Sanctum Petrum decimo octavo Kalendas Februarii Pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15. Januar. 1278. P. an. I.

I I.

Quod absque Summi Pontificis licentia speciali Senator Urbis minime eligatur.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam rei memoriam.

Ex Reges. Vatic.

Proemium.

Fundamenta militantis Ecclesiæ in Montibus Sanctis Propheta rememorans per montes Apostolos, & Prædicatores potenter insinuat, quibus tota hujus ædificii fabrica confidenter innititur, qui firmæ bases Ecclesiæ super fundamento, præter quod nemo aliud ponere potest, quod est Christus Jesus, veluti summo angulari lapide solidantur; ut veritas, quæ antea legis & Prophetarum præconio vehebatur, per Apostolicam Tubam in salutem Universitatis exiret: sicut scriptum est, in omnem Terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis Terræ verba eorum. Hujus autem muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum voluit Officium pertinere, ut in Beato Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite Dona sua velut in corpus omne distunderet. Hunc enim in Consortium individua unitatis assumptum, id quod ipse erat, Dominus voluit nominari, dicendo, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, ut æterni Templi fructura Deo ædificante constructa mirabili munere gratiæ Dei in Petri consisteret firmitate: Cui Salvatoris nostri miranda provisio Beatum Paulum in Apostolatam Gentium per dextram societatis adiunxit. Isti sunt, per quos Evangelium Romæ resplenduit: Isti sunt ejus Patres, verique Pastores: Isti sunt, qui unanimes pro merito uno loco pro gloria sub uno perceptorum pro parili virtute compassi, Urbem ipsam glorioso cruore Martirii Christo Domino consecrarunt: Isti sunt qui illam in hanc gloriam provexerunt, ut sit gens sancta, Populus electus, Civitas Sacerdotalis, & regia, per sacram Beati Petri sedem caput totius Orbis effecta. Ne autem ipsa mater Ecclesiæ in Congregatione ac Pastura Fidelium temporalibus careret auxiliis, quin potius ipsis ad spiritualibus semper proficeret incrementis, non absque miraculo factum esse concipitur, ut occasione liter Constantini Monarchæ a Deo prævisâ sed curata Baptismalibus Fomentis infirmitas quandam quasi adiceret ipsi Ecclesiæ firmitatem, qui quarto die sui Baptismatis una cum omnibus satrapis, & universo Senatu, Optimatibus et-

Pontificibus donata Roma cum imperio.

etiam, & Cuncto Populo, in Persona Beati Silvestri sibi Romanam Urbem concedendo, relinquens ab eo & successoribus eius per Pragmaticum Constitutum disponendam esse decernens, in ipsa Urbe utriusque Potestatis Monarchiam Romanam Pontificibus declararet, non iustum arbitrans, ut ubi Sacerdotis Principatum, & Christianae Religionis caput Imperator Caelestis instituit, illic Imperator terrenus habeat potestatem: quin magis ipsa Petri Sedes, in Romano jam proprio solio collocata, libertate plena in suis agendis per omnia potiretur: nec ulli subesset homini, quae aere divino cunctis dignoscitur esse praelata. Decet namque ipsi Romano Pontifici per Fratres suos Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, qui sibi in executione officii Sacerdotalis Coadiutores assistunt, libera provenire consilia. Decet ipsi nullo modo vacillare iudicia, ut Fratres ipsos nullus secularis potestatis metus exterrere, nullus temporalis favor absorbeat, nullus eis terror imminere, nihil eos a veri consilii soliditate removeat, quin cum per ipsum Romanum Pontificem in quibuscumque negotiis contingeret eorum peti consilia in consulendo per omnia liberi eidem Romano Pontifici in omnibus, quae pro tempore imminere, libere consulant, & assistant: ipsaque Romani Pontificis Vicarii Dei, quae suis temporibus occurreret electio, & eorumdem Cardinalium, cum expediret faciendam promotio, in omni libertate procedant.

Damnata Urbi dominio exterroribus illata recuset.

§. 1. Digne itaque ad Urbem ipsam, eiusque regimini aciem nostrae considerationis extendimus, ut felici ducta regimine praeservetur a noxiis, & optatis semper proficiat incrementis. Num quid obduxit oblivio, quae Urbi, quae incolis nota dispendia intulerunt haecenus peregrina regimina? Num quid non haec destructio manium & deformatio proveniens ex ruinis luce clarius manifestant? Num quid non haec fideiium contracta deposita? Num quid non haec ipsa veneranda Dei Templi Praesidentis manu sacrilega diebus nostris nefarie violata proclamant? Quid plura? nonne ipsius Urbis retroactis temporibus incorrupta constantia sub Regentis eo tempore nefando subversa regimine ipsam Urbem speculum Fidei tanta resperit infamia, ut a Matre sua Romana Ecclesia filia praedilecta deviare compulsa quondam Corradinum, qui de venenosa radice Friderici quondam Romanorum Imperatoris Colubri tortuosi iusto ipsius Ecclesiae iudicio reprobati prodidiisse videbatur in Regulam, quique ad exterminium Romae Matris Ecclesiae manifestis indicibus unacum suis fautoribus aspirabat in contemptum Dei, suae Matris ac ipsius Urbis opprobrium, patenter exciperet, recepto faveret, constituens se per hoc tam patens hostis suae Matris Ecclesiae Filiam adiutricem? Haec ipsi Romae praesiterunt Senatores incogniti: haec Praesides improvisi, ut gloriosa Civitas redderetur ingloria, sua stabilitas vocaretur instabilis, suae constantiae antiquata soliditas linguis hominum notaretur infirma.

§. 2. Proinde officii nostri debitum circa huiusmodi tam periculosos eventus ad libram moderaminis erigentes tanta subversionis occasiones ita salubri remedii appositione praedicimus, ne illorum, qui ipsam Rempubicam laudabiliter

haecenus gubernarunt, videamur gloriam sugillare, vel merita, quae illis apud infallibilem & omnia scientem retributorem de jam perlatis quaesita laboribus salva persistant. Ut igitur circa regimen ipsum talis adhibeatur in omnibus cum discretione solertia, per quam ipsi Romanae Ecclesiae plena libertas, quae in omnibus & per omnia sibi debetur, optata proveniat, vitentur jam experta pericula, & Romanorum Populus ab opprimentium protectus incurribus sequeat, sedendo quiescat in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciae, & temporalium re- quae opulenta; de Fratrum nostrorum consilio hac irrefragabili & in perpetuum valitura Constitutione sancimus, ut quodcumque, & quotiescumque Senatoris electio, vel alterius quocumque nomine censetur, qui quocumque modo, quocumque titulo ipsius Urbis debeat praeside regimini, imposterum imminere, nullus Imperator, seu Rex Romanorum, aut alius Imperator, vel Rex, Princeps, Marchio, Dux, Comes, aut Baro, vel quis alterius notabilis praesentia, potentis, seu potestatis, excellentiae, vel dignitatis existat Frater Filius, vel Nepos eorum ad tempus, vel in perpetuum, seu quisvis alius ultra an- nale spatium quovis modo, colore, vel causa per se, vel per aliam personam quomodolibet submittendam in Senatorem, Capitaneum, Patritium, aut Rectorem, vel ad eisdem Urbis regimen, seu officium nominetur, eligatur, seu alias etiam assumatur, absque li- centia Sedis Apostolicae speciali, per ipsius Sedis literas concessionem licentiae huiusmodi specialiter exprimentes: quod si fecus factum fuerit, nominationem, electionem, & assump- tionem huiusmodi decernimus esse nullas, ac carere omni robore firmitatis: & non solum nominatores, electores, & assumptores; verum etiam ipsi nominati, electi, aut assumpti, si huiusmodi nominationi, electioni, seu assump- tionem consenserint, aut se de ipsis quomodolibet intromiserint, intendentes, & obediens eisdem, & omnes dantes in hoc ipsis nomi- natores, electores, assumptores, aut nomi- nati, electi, vel assumpti auxilium, con- silium, vel favorem publice, vel occulte, cu- juscumque dignitatis, praesentia, condi- tionis, aut status extiterint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant: ac nihi- lominus ipsos nominatos, electos, seu assump- tos si contra praesentem Constitutionem praedictis nominationi, electioni, vel assumptioni consenserint, aut se quomodolibet inges- serint, & eorum Posteris in perpetuum omni- bus Feudis, Privilegiis, libertatibus, immuni- tatibus, & honoribus, quae a praedi- cta, seu aliis tenent Ecclesiis, censemus esse privatos: ita quod illi, ad quos eorum colla- tio, concessio, seu dispositio pertinet, resu- mendi ea, retinendi, concedendi, seu conse- rendi aliis, aut de ipsis etiam disponendi, prout ad eos pertinet, liberam habeant potestatem: & ne taliter nominati, electi, vel assumpti de sua pertinacia, vel contemptu valeant gloria- ri: nos quaelibet mandata, praecipua, ordina- tiones, & statuta, quae fecerint, omnesque sententias, quas tulerint, & quidquid in

Urbis Senator sine licentia Papae non eligendus.

Peng contra fecus agentes.

Innumera Dei beneficia erga Hebraeos.

in

Tabellionum aliorumque contravenientium pena.

Obstantium derogatio.

Nobiles Romani hac lege excipiuntur.

Classis.

Datum die 8. Julii 1278. An. 1.

Innumera Dei beneficia erga Hebraeos.

in Contractibus, & obligationibus, sive in quibuscumque aliis Urbis nomine vel tamquam Senatores, Capitanei, Patritii, aut Rectores, vel Officiales ipsius egerint, irrita prolix ex nunc & vacua nunciamus.

§. 3. Iudices vero, & Tabelliones, qui super iis aut eorum aliquibus contra praesentis constitutionis edictum patrocinari, vel Instrumenta conficere forte praesumpserint, iudicatus & Tabellionatus officii se novcrint esse privatos. Contemptores quoque, seu violatores praemissorum, vel aliquorum, vel aliquid eorum ab huiusmodi excommunicationis, praeterquam in mortis articulo sententia absolvi non possint, nisi per Romanum Pontificem, vel de ipsius petita & obtenta licentia speciali.

§. 4. Non obstantibus aliquibus Privilegiis, Indulgentiis, Concessionibus, Constitutionibus, Consuetudinibus, & Statutis quacumque firmitate vallatis, quae in praemissis omnibus nolumus, aliquibus, vel alicui suffragari: sed omnia quoad illa decernimus non tenere.

§. 5. Ut autem Cives Romani, qui ex ipsa Urbe naturalem duxisse noscuntur originem, aut quisvis alii, qui in ipsa ejusve Territorio non advenae sed continui habitatores extiterunt, quoad honores ipsius Urbis, aut regimen gratiosius functionibus potiantur, non intendimus, quod praesens constitutio tales excludat, quin ad unum annum domtaxat, vel aliud tempus brevius nominari ad ipsius regimen, & officium eligi valeant ac assumi: etiam si praedictorum Principum & aliorum Fratres, Filii, vel Nepotes existant, aut etiam extra Urbem, & ipsius Territorium sub nomine Comitatus, Baroniae, seu cujuscumque alterius tituli in hominibus, vel locis aliquibus jurisdictionem, seu potestatem aliquam temporalem vel perpetuam obtinerent: dummodo praedicta iurisdictio vel Potestas extra Urbem & Territorium praefata consistens non tantae praesentia, vel notabilis potentatus existat, quod eam obtinentes eius occasione vel causa cum aliis exclusis a dicto Urbis regimine, ut praemittitur praesentis Constitutionis oraculo, rationabiliter includantur.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Constitutionis & privationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem &c.

Datum Viterbii Quintodecimo Kalendas Augusti Pontificatus nostri Anno Primo.

III.

De praedicatione verbi Dei, pro conversione Hebraeorum.

Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Praedicatorum in Lombardia, Salu- tem, & Apostolicam benedictionem.

Vineam Sorec velut electam planta- vit dextera Dei Patris, & omne semen verum seminavit in ipsa, angelica custo- Ball. Rom. Tom. III. Pars II.

dia sepevit illam, lapides nocivos abiecit ex ca- Hanc de Aegypto in luto & latere, sub iugo Pharaonis oppressam, in signis & prodigiis transferens, dux itineris ejus existens, in ter- ram promissionis adduxit. Vineam enim Domini exercituum domus Israel est, viri Juda dele- ctabile germen ejus. Hanc sic mire transla- tam, quasi adhuc rudem campum vomere le- gali profcindens, prophetali doctrina sulcavit, ut & ipsam ad maturam frugem, idest ad re- generationis gratiam prepararet.

§. 1. Sed, pro dolor, peccatorum spinis obfusa, nullum imbrem gratiae spiritualis exci- piens, quae sperabatur ut vnas educeret, la- bruscas eduxit: unde sperabatur iudicium, pro- cessit iniquitas: unde iustitia, inde clamor. Haec est vinea, in qua sicut arbor, scilicet synagoga Judaeorum plantata, Evangelica veritate de- scribitur: cujus plantator Christus, coetus Apo- stolicus cultor existit. Haec triplici tempore, quasi tribus annis, ut fructum produceret ex- pectata, infructuosa reperta, cultori succi- denda praedicatur. Nam nec tempore circum- cisionis ad perfectum deducta est, quia circum- cisionem animae non quarebat: nec sanctifica- ta per legem, quia per eam tantum carnalia sequebatur: nec tandem iustificata per Evan- gelii gratiam, quia gratiam recipere noluit, quin potius latorem gratiae iustum iniuste pere- mit, & quodammodo indurationem Pharaonis excedens, omne curantis & curae refutavit an- tidotum: adeo ut nec verbis, nec signis, nec Sacramentis, quinimmo nec ipsius Christi, & Dei corporali praesentia molliretur. Multifarie enim multisque modis olim Deus loquens antiquis ipsius synagoga patribus in Prophetis, novissime in fine temporum locutus est ipsis & nobis in Filio, quem constituit heredem uni- versorum, per quem fecit & saecula: sed om- nem eam abominata est anima ejus: & idcir- co iusto Dei iudicio reprobata, extermina- vit eam aper de sylva, & singularis ferus depa- stus est eam. Ablata est spes ejus, prostrata maceries, & in direptionem posita ut deserta: nec inventus est in terris amplius locus ejus. Verum quia miserationes Dei super omnia sua opera praedicantur, qui omnes salvos fieri, & neminem vult perire, qui se ipsum pro nobis & ipsis hostiam salutis exhibuit Deo Patri: qui exaltatus a terra, expansis in cruce manibus, ad se cuncta trahere evangelica voce praedixit.

§. 2. Nos, licet immeriti, vicem ejus ten- dentes in terris, qui etiam Judaicam perfidi- am, a sua misericordia non repellit: liben- ter pro illius populi obcaecatione labores ap- petimus, ut affectum nostrum divina profe- quente clementia, cognita veritatis luce, quae CHRISTUS est, a suis tenebris eruantur. Por- ro quia Judaeorum ipsorum, quasi per univer- sum Mundum, divino iudicio, praevisa disper- sio, ipsos ad recipiendum sacramenta fidei, ac doctrinam commode in unum convenire, non patitur, necessitate nos voluntarios ur- gente compellimur, per diversas Mundi par- tes diversos seminarios eligere, per quos semen verbi Dei, prout passibile est, spar- gamus in singulos, quorum salutem universa- liter, & singulariter affectamus. Ad te igitur

Execrata ta- men semper fuit eorum durities.

Iubet, ut praediceat verbum Dei, ut convertantur.

D

tur

tur inter alios sub spe divinae gratiae mentis nostrae oculos convertentes, cum tui Ordinis claritate reluceas, & credaris ubilibet per opera utilia, & exempla laudabilia fructuosus, & ex data tibi divinitus gratia scire te confidamus, & posse, & fructus uberes in domo Domini germinare, discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus confidens in illo, cui proprium est spirituales gratias elargiri, tales umbrarum tenebris obcaecatos, in commissa tibi provincia, per te ac alios fratres tui Ordinis, quos ad hoc honestate morum, experta scientia, probitatis virtutibus, circumspicione provida, & experientia comprobata idoneos esse cognoveris, & quorum industria atque doctrina divinis donis a Domino fecundata intrepide pro catholica fide reluceat, & sui claritate non titubet, sed tenebrosas mentes radorum repercussione clarificet, & obstinatas cervices teprimat perversorum, Judaeos eosdem in terris & locis, in quibus habitant, generaliter & singulariter convocando, semel & pluries, ac toties repetitis instantiis, quoties proficere posse putaveris, prout melius fieri poterit, praedicationibus, salutaribus monitis, & discretis inductionibus, Evangelicis doctrinis informans ipsos, studeas juxta datam tibi a Domino gratiam, fugatis tenebrarum nubibus, ad viam reducere claritatis, ut renati fonte baptismatis, reluceant in lumine vultus CHRISTI, & exinde Chorus angelicus delectetur. Tu quoque ac alii, quos ad prosecutionem tanti negotii duxeris eligendos, perennis boni praemium, nostramque benedictionem & gratiam vobis de bono in melius vendicetis.

Converti Praelatis & aliis consulendi, ut humanissime tractentur.

§. 3. Et ut affectum, quem ad salutem status ipsorum gerit mater Ecclesia, percipiant per effectum, tu illos ex eis, quos ad susceptionem sacri baptismatis gratia divina perduxerit, Praelatis ac Dominis locorum in quibus tales habitare contigerit, ex parte nostra affectuosissime recommends, ut Deo gratias in recuperata ove deperdita, & filio prodigo redeunte, vitulum exultationis & gaudii exhibentes, eos caritative foveant, favoribus muniant, benigne pertractent, nec ipsos in personis, aut rebus, per Judaeos, vel alios indebite molestari permittant, quin potius in omnibus favorabiliter ipsis assistant auxiliis opportunitis.

Converti noventes Papae quancientur.

§. 4. Sed si forte (quod absit) aliqui ex ipsis, in eorum obstinata perfidia perdurantes, & velut aspis surda suas aures incredulas obturantes, ne tui & illorum, quos ad haec salutis opera deputabis, vocem audiant, ut de tenebris ad lucem exeant, incantantium sapienter tuas, & per te ad haec deputandorum fratrum salutares convocationes, aspernantes refugerent, de istis (si tales inveneris) qui sunt, in quibus locis, & sub quorum dominio commorentur, nobis rescribere non omitas, ut circa pertinaces hujusmodi, de salutari eorum remedio, sicut expedire videbitur, cogitemus. Ut autem de praemissis avidis nostris conceptibus, juxta nostra desideria satisfiat, frequenter nobis intimare studeas, qualiter commissum tibi negotium prospere-

tur, & qualem fructum seminata repromittant. Datum Viterbii II. Nonas Aug. Pont. nostri Anno I.

Dat. die 4. Augusti 1278. An. I.

IV.

Excommunicationis, & aliarum poenarum promulgatio in Catharos, Patarenos, aliosque haereticos, ipsorumque filios, complices, & fautores.

Decretas contra hereticos, complices, fautores &c. penas legere est in Lucio III. Constit. VIII. Tom. III. Par. I. pag. 9. In Innocentio III. Constit. XLIX. ibid. pag. 116. In Honorio III. Constit. XLVIII. ibid. pag. 217. In Innocentio IV. Constit. II. ibid. pag. 295.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum Dei, universis Christi fidelibus. Salutem & Apostolicam benedictionem.

NOverit universitas vestra, quod nos excommunicamus & anathematizamus universos haereticos Catharos, Patarenos Pauperes de Lugduno, Passaginos, Josephinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas quia de vanitate conveniunt in idipsum. §. 1. Damnati vero per Ecclesiam seculari iudicio relinquuntur, animadversione debita puniendi: Clericis prius a suis ordinibus degradatis.

Excommunicatio hereticorum.

§. 2. Si qui autem de praedictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agenda condignam poenitentiam, in perpetuo carcere deturbandi.

Ipsorum & aliarum poen.

§. 3. Credentes autem eorum erroribus similiter haereticos judicamus.

§. 4. Item receptatores, defensores, & fautores haereticorum excommunicationis sententiae decernimus subjacere. Statuentes, ut, si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso jure sit factus infamis.

§. 5. Nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos alios ad hujusmodi.

§. 6. Nec ad testimonium admittatur.

§. 7. Sit etiam intestabilis, nec testamenti habeat factionem.

§. 8. Nec ad haereditatis successionem accedat.

§. 9. Nullus praeterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur.

§. 10. Quod si forte iudex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem: nec cause aliqua ad ejus audientiam perferantur.

§. 11. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur.

§. 12. Si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur, & in similibus idem praecipimus observari.

§. 13. Si vero Clericus fuerit ab omni officio & beneficio deponatur.

§. 14. Si qui autem tales postquam ab Ec-

Dat. die 3. Martii 1280. An. III.

MARTINUS IV.

P A P A CLXXXIX.

ANN. DOM. MCCLXXXI.



Simon de Bria vulgo dictus a patria Galliae Provincia, Parisiorum agro vicina, Presbyter Cardinalis tit. S. Caeciliae electus est Viterbii in Romanum Pontificem die 22. Februarii anno 1281. & Martinus IV. appellatus. Consecratur & coronatur apud Urbem veterem die 23. Martii anni ejusdem. Sed in Pontificatu Annos IV. dies VI. (a) imperantibus in Oriente Michaele Paleologo, in Occidente vero Rodolpho Rege Romanorum. Obiit Perusii die 29. Martii 1285. & sepultus est ibidem. Vacavit Sedes dies IV.

Dat. die 3. Martii 1280. An. III.

Dat. apud Urbem Veterem, V. Non. Martii, Pont. nostri Anno III.

(a) A die consecrationis computandos.